



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

VIII. De pace cordis & quiete in Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

quam profert, qui opere ostendit quod ore prædicat; qui propriam gloriam non quærit, sed omnia bona quæ facit, et in aliis videt, pure ad gloriam Dei refert.

In omni-  
bus cura  
placere  
Deo.

Qui autem sibi placet, stulto placet, et Deo displicet. Ideo in omnibus bonis quæ agis et dicis, Deo placere studeas, ut ampliora bona ab eo recipias.

De bonis naturæ quid gloria- ris, cum sis mortalis à vermibus mox rodendus? Audi senem juvenis. Recipe te à rebus te distra- hentibus; quia requiem non in- venies, nisi ad cor tuum redeas, et Deum super omnia bona quæ- ras, et intime diligas.

CAP. VIII. *De pace cordis & quiete in Deo.*

*Psal. 75.*

**I**n pace factus est locus ejus. Quis est in bona pace? Qui mitis et humilis corde. Quare vis scire de statu aliorum, quali- ter sit cum eis, et te ipsum negli- gis in multis?

Pax &  
tranquil-  
litas cor-

Ecce, qui melius scit se humi- liare et pati propter Deum, hic melius est in pace. Huic omne o-

nus

ritus sit leve, propter Deum quem  
habet in corde.

dis quomodo  
modo  
servanda;

Beatus, qui loquitur cum Deo  
orando, meditando, cantando,  
legendo; et de alienis tacet, quæ  
fiunt in mundo.

Ubicumque es, et transis, vel  
fugis, cogitatio tua tecum tran-  
sit. Bona meditatio lætificat, ma-  
la contristat. Ira perturbat, invi-  
dia excæcat, odium necat. De-  
vota lectio instruit, oratio ac-  
cendit, operatio verbum implet.

2. Sermo sanctus corda munda-  
dat, vanus maculat, otiosus scan-  
dalizat, durus gravat, pius pla-  
cat, moralis ædificat, historialis  
fidem confirmat, cœlestis ad æ-  
thera levat.

Munda ergo cor tuum ab om-  
ni malitia, et eris in bona pace.  
Non est pax bona, nisi in Deo, et  
cum virtuoso, qui omnia bene a-  
git propter Deum, quem diligit.

Mane in silentio, et sustine  
modicum propter Deum, et ipse  
liberabit te ab omni onere et  
inquietudine.

Beata vita et bona conscientia  
dant fiduciam ad Deum in tribu-  
la-

Bona cō-  
scientia;

la-

parit fiducia,  
mala timorem.

lacione, et in morte; mala autem conscientia semper est in timore & in lite.

Iracundus cito cadit de uno malo in aliud pejus. Patiens & mitis de hoste facit amicum, & Deum inveniet tibi semper propitium, propter pietatem erga peccantem.

CAP. IX. De recollectione cordis cum Deo.

Luca II. **Q**ui non colligit mecum, dispergit, ait Dominus noster Jesus Christus.

Quid faciendum in distractione cordis.

Cum fueris multum dispersus & indevotus propter multiplices diaboli phantasias, & amaras passiones cordis, & hominum displicentias te inquietantes; stude te recolligere in secreto, per Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem; & prosterne te solo tenus ante sanctam Crucem, vel beatæ Virginis Mariæ imaginem, aut alicujus Sancti devotam picturam, ad Dei honorem Sanctorumque memoriam factam.

Invoca præcipue Jesum & Ma-